

Vidua hæc pauper plus omnibus misit.

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Marcum

12, 38-44

In illo témpore:

³⁸ **D**icébat Iesus turbis in doctrína sua:

«Cavéte a scribis,
qui volunt in stolis ambuláre
et salutári in foro

³⁹ et in primis cáthedris sedére in synagógis
et primos discúbitus in cenis;

⁴⁰ qui dévorant domos viduárum
et osténtant prolíxas oratiónes.
Hi accípiunt ámplius iudícium».

⁴¹ Et sedens contra gazophylácium
aspiciébat
quómo do turba iactáret æs in gazophylácium;
et multi dívites iactábant multa.

⁴² Et cum venísset una vídua pauper,
misit duo minúta, quod est quadrans.

⁴³ Et cónvocans discípulos suos ait illis:

«Amen dico vobis:
Vídua hæc pauper
plus ómnibus misit,
qui misérunt in gazophylácium:

⁴⁴ omnes enim
ex eo, quod abundábat illis, misérunt;
hæc vero
de penúria sua ómnia, quæ hábuit, misit,
totum victum suum».

Verbum Dómini.